

re, nec possit juvari negligentia ministrorum.

19 Respondeo, concedendo ex tali detentione sequi posse præscriptionem, non obstante mala fide; nam ut observat *Peregrin. de Jure Fisci lib. 6. tit. 8. num. 34., & 35.*, in aquirendis, potest præscribi contra Fiscum sine titulo, & sine bona fide, quod est singulare, in quærendis titulo pœnæ, eo quod in conscientia, pœna non debetur, nisi per Judicem, & factio hominis exigatur, ut post plures firmat *Barbosa in c. fraternitas 12. q. 1. nu. 4., & in c. si qui num. 6. de præscript. in 6., & in c. quæ in Ecclesiarum num. 6. de constit., & in c. cum secundum num. 9. de hæret. in 6.*, aliique supra relati, & in hoc casu non dicitur detinere rem alienam, contra conscientiam, neque commodum reportat, ex propria omissione, quæ est ratio regulæ possessoris malæ fidei de *reg. Jur. in 6.*, ubi *Barbosa num. 2. & 3.* sed reportat, ex aliena negligentia, & omissione, ut dicam in 2. p. de negligentia Offitium Fisci, & quæ dixi de Fisco, idem dicendum de hæredibus testamentariis, legatariis, & contrahentibus cum pacto incurrendi privationem ipso Jure in pœnam negligentia; Vel etiam dicas cum aliis allegatis in articulo de negligentia Fisci, quod detentor in hoc casu, esset in bona fide, quia sciret se jure permittente posse, retinere rem, usque

## ARTICULUS XXV.

### De Negligentia in repellendis Pravis Cogitationibus.

**I**nnotescat, quanti ponderis sit materia, seu difficultas, in hoc articulo discutienda, præmittendum censui, quod nomine pravæ cogitationis, intelligatur cogitatio, quæ est actus intellectus, cum connectione affectus Voluntatis, prout latius explicat *Vasquez in prima parte D. Thom. disp. 210. cap. 2. & 3.*, solus enim actus intellectus, non potest esse pravus, & culpabilis, cum non sit liber, quatenus autem connectitur cum affectu Voluntatis, habet rationem liberi, & tunc, vel est moraliter bonus, vel moraliter malus, & pravus; articulus ergo est de istis cogitationibus cõnexis cum affectu Voluntatis.

dum per exequutores missos à Judice tollatur.

20 Neque obstaret, si diceres, quod beneficiatus, omittens dicere horas canonicas, non faciat fructus suos, & quod nulla expectata sententia declaratoria, teneatur eos pauperibus distribuere, vel in causis piis implicare, quia dispar est ratio; nam lex disponens, quod omittens recitationem officii, non faciat fructus suos, resistit acquisitioni; at in nostro casu, agimus de privando, & tollendo jure quæsito, quod difficilius est, ut latius ostendam in articulo de negligentis, & omissionibus officialium Fisci, & intrat regula superius notata, quod recitatio officii, habet rationem qualitatis, vel conditionis habitantis beneficiatum, ad faciendos fructus suos, unde non est præcisè in pœnam, talis non acquisitio, & sic non est privatio, de qua loquimur, quæ prærequirit habitum, ad latè allegata per *Barbosam de axiomat. Juris, axioma 189. per totum*, sed est non acquisitio, ad allegata per *Monetam de distribut. p. 3. q. 7. num. 63., & supra allegatis num. 65. & 71.*, pro ut etiam in beneficiato qui non fecit professionem fidei inhabilitatur ad fructus faciendos suos, *Trid. sess. 24. c. 12., Azor. p. 2. lib. 7. c. 2. q. 1. in fine Garzias p. 3. c. 3. num. 45., Ricciul. de Jure Personarum extra Ecclesie gremium lib. 1. c. 13. num. 43., Garzias de benef. p. xi. cap. 10. n. 21.*

2 Præmitto pariter, quod cogitato Intellectus, se habet antecedenter, ad affectum voluntatis, quia Voluntas non fertur nisi in præcognitum, unde per actum istum Cogitationis intellectualis, proponitur Voluntati Objectum, quod potest esse bonum, vel malum, vel indifferens, & liberum est Voluntati, vel illud amare, vel illud renuere, vel etiam suspendere, idest nec amare, nec renuere; sit exemplum, de proximo diligendo, quod est præceptum divinum, quod Voluntas potest acceptare, & elicere actum Amoris, & Charitatis erga proximum, vel suspendere, sic *Luca x.* Samaritanus elicit actum amoris, & Charitatis erga hominem à latronibus vulneratum,

neratum, quem amorem, ostendit postea opere externo subsequuto; at Sacerdos, & Levita, qui per eandem viam transeuntes, præcognoverant eundem hominem despoliatum, Vulneratum, Jacentem, tamen vel renuentes, vel suspendentes actum Amoris, pertransierunt nullo affectu elicitio erga Proximum.

Ita & in Objecto moraliter malo, potest contingere; exemplum sit, proponit Intellectus cogitans, Voluntati Mulierem pulchram, tunc Voluntas potest pro suo libito, vel actum pravi amoris elicere, & delectari affectu lascivix, vel renuere, & omnino detestari, vel actum suspendere, idest nec delectando, nec renuendo, & de his pravis cogitationibus, nunc quæro, quanta diligentia requiratur in eis replendis, & quæ negligentia sit culpabilis.

3 Præmitto tertio, quod Deus in Sacris Scripturis, de istis cogitationibus cordis, zelum ostendens multa expresserit; Sic primò *Paralipom. c. 28.* legimus *omnia enim corda scrutatur Dominus, & Universas mentium cogitationes; Jeremia c. 17.* *Parvum est Cor hominis, & in-scrutabile, quis cognoscet illud, ego Dominus scrutans cor;* Ubi observant Sacri Theologi cum *D. Thoma p. 1. q. 57. art. 4., & D. Hieronimus in eodem loco Jeremie,* quod cognitio Secretorum Cordis, quales sunt cogitationes prædictæ, quousque sistunt in solo interno actu Intellectus, & Voluntatis affectu, neque exeunt in opus externum, reservata est soli Deo, itaut neque Angeli, ea cordium secreta naturali sua tantum Virtute valeant certò, & evidenter cognoscere, sed solum quandoquæ per conjecturas, vel nisi ab homine eis revelentur.

4 Dicitur autem Deus, scrutator cordium, idest diligentissimus, ac subtilis investigator, & cognitor, ideoquæ Christus Dominus *Matthei 9.* conquæritur, *ut quid cogitatis mala in cordibus vestris; Ut vidit Deus cogitationes eorum &c.,* & dictio *ut* in hoc loco importat, ac statim, quia nolet has pravas cogitationes Immorari in hominis Corde; ac propterea *Proverbiorum c. 4.* dicitur (*Omni custodia serva Cor tuum,*) nam de corde exeunt pravæ cogitationes, quæ coinquinant Animam, *Matthei cap. 15., & Marci c. 7., Paulus ad hebreos cap. 4., ait Discretor est Cogitationum, & intentionum Cordis.*

*Psalmo autem 7. dicitur scrutans Corda, & renes,* idest qui scrutatur Corda, etiam renes co-

gnoscit, nempe delectationes bonas, vel malas, per renes, enim delectationes significantur ad notata per *Michaelem Aiguantum alias Incognitum,* sed modo cognitum ad illum Psalmum, & Versiculum.

Has ergo cogitationes, si accedat affectio Voluntatis, & sint de re turpi, ut de Objecto lascivix, delectationes morosas, appellant Theologi, non à mora temporis, cum brevi momento temporis possint compleri, sed à mora Voluntatis, idest determinata Voluntatis delectatione, & persistentia in eis.

5 Necessè est igitur, quando tales Cogitationes de re turpi, mentem invadunt, quod Voluntas eas repellat, alias sine negligentia, de facili labatur in delectationem, & consensum; nunc quærimus, an ista negligentia, sit semper culpabilis, & qualiter, an semper mortalis, vel esse possit venialis, vel quandoquæ sine culpa; Consideramus ergo has pravas Cordis cogitationes in triplici statu. Primò, si Voluntas eas repellat, & actus bonus moraliter est. Secundò, si eis consentiat, & delectetur, & actus moraliter malus est, & de hoc dicitur *Matthei cap. 5., & Exodi 20. qui viderit Mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteratus est in Corde suo.* Tertio, si neque repellat, neque consentiat, sed negligat, & omitat repellere, quasi stando in suspensio, & in hoc tertio sensu, est præsens Inquisitio.

6 Plures Theologi magni nominis, existimarunt, quod hæc negligentia sit quidam consensus interpretativus, & consequenter peccatum mortale, quoties sit cum advertentia sufficienti, quia defectus plenæ advertentia, potest operari, quod peccatum sit tantum veniale, ex aliquo defectu liberi voluntarii, ita *Vasquez in p. 2. disp. 108. cap. 1. & 2., Sayr. Clavis regia lib. 8. cap. 7. num. 3. & seqq., Sanchez. ad Decal. lib. 1. cap. 2. num. 12., & seqq., Diana p. 2. tract. 17. resol. 33.,* ubi plures allegat *Trulench ad Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 13. à num. 9., & seqq.,* apud quos plures allegantur; fundamentum potissimum est, quia data plena advertentia de tali cogitatione, dum non curat eam repellere, eam censetur amare, ac propterea dicitur Virtualiter, seu Interpretativè consentire.

7 Alii verò Theologi, ut *Caietanus Bonacina, Navarra* pluresque alii allegati à *Diana dicta resol. 33. Vers. Sed contrariam,* existimant probabile, quod talis negligentia, sit mera cogitationis pravæ, passio, nec involvat culpam saltem

saltem lethalem, ratio hujus sententiæ est, quia datur quidem præceptum, de non consentiendo pravæ cogitationi, ut in nono præcepto decalogi dicitur (non concupisces), at non datur præceptum de tali modo adhibendo, ergo non posita concupiscentia per positivum consensum, nullum violatur Præceptum, si negativè se habeat, idest neque concupiscat, neque repellat, sed tantum patitur, talem Cogitationem, non est culpabiliter negligens; hanc sententiam Bonacina aliique allegati à Doctoribus existimant probabilem, quoties ille qui patitur eam pravam Cogitationem, non incurrat periculum labendi in Consensum, aut delectationem, nam dato tali periculo omnes eam condemnant.

8 Re autem vera, semper bonum consilium erit, pravam Cogitationem repellere, & uti necessaria diligentia, ut repellatur; alias posset de facili decipi, & dum reputant homines, se non consenturos, neque delectari, prius se lapsos flere, quam lapsum Imminens, recognoscere.

9 Sed difficultas est, quæ & quanta diligentia adhibenda sit, ne patiens tales pravæ Cogitationes, dicatur negligens; nam de Divo Benedicto legimus, quod patiens inhonestas tentationes, nudus inter spinas tamdiu se Volutavit, donec lacerato Corpore, sensus dolore opprimeretur; de Sancto Francisco Affisinate similem patiens tentationem, nudus inter Nives jacuit, & volutavit, donec Calor noxius extingueretur; alii in lecto quiescentes similitudine, sensuali excitati, e lecto statim proficientes Orationi se se dederunt; alii flagellis usque ad sanguinis copiosam effusionem, Corpus, & sensus in servitutem redegerunt; Ideo D. Paulus 1. ad Corint. Cap. 9. ait *Castigo Corpus meum, & in Servitutem redigo*; & 2. ad Corint. cap. 12., ait *Datus est mihi Stimulus Carnis meæ, Angelus Satanae, qui me Colapbizet, propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea, nam Virtus in Infirmirate perficitur*, Castigatio autem fieri potest non tantum flagellis, sed Jejunii; Cilitio, humiliationibus, super pavimento dormitione, plagis, aliisque Carnis, & Corporis incommodis; Sancta Margarita de Cortona in Vastam heremi solitudinē secessit, ubi Nuditate, hyemali frigore, æstivo calore, Jejunii, maximisque aliis afflictationibus, pravæ sensuum passiones devicit.

D. Hieronymus ad Eustochium, de Custodia Vir-

ginitatis, ait, ) *nolo finas Cogitationem libidinis crescere, nihil in te Babylonium, nihil Confusionis adolescat; quomodo autem deberet se gerere sequitur) Beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram, idest qui cepit cogitare sordida, statim interficiat Cogitatus, & allidat ad petram, Petra autem Christus est.*

Et idem Hieronymus pariter ad Eustochium dicta Epist. ait, *statim ut libido titilaverit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, errumpas in Vocem (Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi Caro.)*

Ad quod notandum est, quod non raro permittit Deus hujusmodi Cogitationes non de facili reici, sed permanere, & torquere hominem probatum, & timoratum, ut in Apostolo Paulo dictum est, & tunc fit locus Verbis Deutoronomii (*Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis Dominum Deum vestrum de toto Corde vestro, & de tota Anima vestra; Sic Paulus rationem reddit, quia Virtus in Infirmirate perficitur.*

D. Antonius magnus Eremitarum, & Monachorum Pater, docebat suos Discipulos, hujusmodi Cogitationes, signo Crucis repelli; & S. Philippus Nerius signo Crucis ante pectus ad Cor efformato, Demonem repellere à Corde, suos alumnos, erudiebat.

10 Potissimum autem repelluntur, & evolvantur pravæ Cogitationes elevando Mentem, eliciendo actum Spei, & Fidei in Deum, sic David psal. 25. *In Domino sperans non infirmabor, & psal. 26 Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego, idest Domino, Sperabo; nam certum est Demonem neque posse hujusmodi cogitationes immittere, nisi annuente Domino, sicut Luca 8. clarè habetur, Demones neque porcos potuisse ingredi, animalia Bruta, & immunda, nisi Christo concedente, & certum etiam est, quod Deus non patitur nos tentari supra id quod possumus Paulus 1. ad Corint. cap. 10., & ad hoc tendit illud Psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.**

11 Proderit satis, si ad Angelum Custodem oratione confugas, habet enim mandatum à Deo de te custodiendo juxta Psal. 90., *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus Viis tuis, nomine autem Vie intelliguntur actiones humane, sive internæ, sive externæ juxta illud Psalmi 98., Utinam dirigantur vie meæ ad Custodiendas Justificationes tuas, & hoc est quod dicebat D. Bernardus in*

Ser.

Sermone de Angelis: *Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, vel vehemens Tribulatio imminere, Invoca Angelum Custodem tuum, doctorem tuum, Adiutorem tuum.*

12 Singulare remedium est, fuga occasionis, vel consistat Occasio, in aspectu Mulierum, vel in lectione librorum, etiam per accidens turpia referentium, vel in pravis colloquutionibus, juxta Pauli dogma (*Fuge Fornicationem*) prima ad Corint. cap. 6., ad hoc refert Cassianus lib. 5. cap. 31. de quodam Eremita, qui Paternæ Domui vale dixerat, & mentem ab omni rerum Mundanarum cura abalienata, cum postea sibi fasciculum litterarum, è patriis finibus receperit delatum antequam eas aperiret, cepit cogitare, fortè in eis contineri, Mundi illecebras, parentum preces, ut remearet amicorum suasiones, ad commoda; ne tentationibus occasionem præberet, litteras clausas, in ignem proiecit; quod, & fecisse D. Ignatium de Loyola, Insignis Societatis Jesu Fundatorem, refert Ribad. in ejus Vita lib. 5. cap. 1., fugere autem Cogitationes pravæ, melius contingere non potest, quàm distrahendo mentem, & animum ab eo obiecto, de quo sunt pravæ Cogitationes, & ad obiecta cœlestia, & misteriorum divinorum, cognitionem elevare.

13 Attamen hoc remedium fugæ, & tollendæ occasionis excitantis ad pravæ Cogitationes, debet limitari, quando causa sit aliquin honesta, vel utilis; ut si Sacerdos in audiendis Confessionibus, ex peccatorum contra honestatem Confessione, per mulierem facta, ad Cogitationes pravæ excitetur, non per hoc tenetur, omittere Confessionum Auditionem; Sic, si lector Casuum Conscientiæ, pro explicandis peccatis luxuriæ, necesse habet, libros de eis tractantes legere, & exinde patitur pravæ Cogitationes, non tenetur omittere talem lectionem; ita si Causa esset utilis, ut iter facere equitando, non tenetur ire pedester, ad evitandas pravæ Cogitationes, tenetur tamen non delectari, nec consentire, & prout latius explicat Azor. parte 1. Institut. Moral. lib. 4. cap. 6. sub quinto *Questio Vers. Quæres quid dicendum.*

14 Hæc omnia scitù digna sunt, & in praxi utilia valdè, Sanctorumque Virorum exemplis comprobata; sed adhuc superest difficultas, an teneatur homo ea praticare, itaut omittendo, peccet specialiter peccato Omissionis, & Negligentiæ, & negant Communioni Cal-

culo, Theologi, quia nullum est præceptum ad ea, sed solum præceptum est negativum (*non concupisces*) alias concupiscendo, ex quo non usus sit aliquo, ex his remediis, duplici peccato, reus esset, de duplici præcepto Violato, quod nemo dicit.

15 Attamen si positus in prava Cogitatione, cognosceret, seu dubitaret, se de facili lapsurum in Consensum, vel delectationem, nisi adhiberet aliquod remedium, ut Orationem, signi Crucis formationem, quæ non important graviora Incommoda, puto quod peccaret, quia esset amare periculum prævisum, dum potest de facili, se à periculo tueri, & non vult.

Tum quia, quoties necessarium est, uti remedio ad non peccandum, tunc certe est præceptum de eo utendo; nec excusat Vitæ periculum, quia data tali, & tanta necessitate, potius mori debemus, quàm peccare, ex quo Principio sequitur, quod licet, absolutè loquendo non teneamur nos inter Spinæ volutare, aut inter Nives, ut S. Benedictus, & Franciscus, fecerunt, tamen tenemur uti aliquo remedio apto & sufficienti, quod retrahamur à delectatione, & Consensu.

16 Nec obstat difficultas, ab Auctoribus secundæ sententiæ, apposita, quod non detur præceptum, de adhibendo hoc remedio, sed solum de non concupiscendo, & quod alias duo committerentur peccata, in Confessione, aperienda, ex quo essent violata, duo præcepta, quod nemo dicit. Nam sub præcepto (*non concupisces*) censetur etiam comprehensum præceptum, de adhibendis remediis, necessariis, ad non concupiscendum, unde unicum violatur præceptum, Unicum pariter est peccatum, in Confessione aperiendum.

17 Eo modo quod, in Jure frequenter accidit; sic sub unico rescripto, non solum res commissa, sed, & cætera necessaria, pro eo explicanda, censeantur comprehensa cap. 1. cap. Præterea de officio Jud. deleg., & concessio uno conceduntur etiam omnia necessaria ad illud l. 2. ff. de Procurat. l. 1. §. 1. ff. si Usufructus pet. l. 3. §. qui habet ff. de Servit. rust. prædior. cum pluribus aliis Concordantibus; ita ergo Deus præcipiendo (*non Concupisces Mulierem alienam*) sub eodem præcepto, comprehendit præceptum, de adhibendis necessariis, pro adimplendo præcepto.

18 Quid autem, si Cogitatio esset sub Conditione? an negligens sit, qui pravam cogitationem

tationem non repellit sit exemplum ( Cogitatur aliquis ) ( Si Berta, mea esset Uxor, copularer cum ea ) vel nisi timerem Mundi Infamiam, aut Judicis, & Curia Criminalis sententias, & executionem, Violarem Genam virginem ) in his duobus exemplis, magnum est discrimen; nam in primo, non est negligens; in secundo negligentia Culpam incurrit, & peccat; ad quod discrimen dignoscendum, pono regulam. Si Condicio, tollat malitiam ab actu, tunc cogitatio non est prava, & consequenter non incurritur negligentia, non eam repellendo; Si vero conditio, non tollat malitiam ab actu, sed adhuc Conditione posita, cogitatio remaneat prava, tunc esset repellenda, & non repellendo incurritur Negligentia Culpae; In primo ergo Exemplo ( Si Berta mea esset Uxor, copularer cum ea ) tunc Condicio tollit malitiam ab actu, quia si verificaretur, quod esset Uxor, tunc licite Maritus copulareretur Uxori; at in secundo exemplo, ( Si non timerem Mundi Infamiam, vel Judicis Sententiam &c. ) hanc Condicio, adhuc posita, non tollit malitiam ab actu; nam dato, quod non incurreretur Infamia, dato quod non esset Judex, qui puniret adhuc Violatio Genae, esset mala ut contingit, quando ita secreto, & industriose patratu Violatio, ut neque Mundo, neque Judici, innotescat, & consequenter, neque Infamia incurritur, neque per Judicem, poena requiritur, & tamen peccatum est.

39 Potest autem dubitari, an hanc Condi-

tio, tollat malitiam ab actu nempe ( nisi Adulterium esset peccatum; vel si liceret aliena furari, Ego cum Coniugo Titii conjungerer, sed quia peccatum est abstinco; vel pecuniam Caii, sativum vitis, mihi tollerem; sed quia malum est, non aufero ); In hoc Casu, certum est, quod Condicio tollit malitiam ab actu, nam tollendo rationem peccati, ab Adulterio, & a furto, actus absque malitia fierent, Verum bene observat Azon. dicta p. 1. lib. 4. c. 6. sub. 10. q. 3. quod talis Cogitatio, & tale desiderium, alia involueret pravitatem, quatenus Condicio est impossibilis, & desiderium inverteret ordinem Naturae, in quo ordine ea sunt prohibita, quia intrinsece mala, nec possunt mutari, quae inordinatio nunquam potest sine malitia, & sine pravitate esse, aut Cogitari, ad differentiam eorum, quae sunt mala, quia prohibita, quia sublata prohibitione, non amplius mala sunt, sicque desiderare ea, sub Conditione, ( si non essent prohibita ) non esset peccatum, quia condicio, tollit malitiam ab actu; Sic si quis cogitaret, vel desideraret, feria sexta, & in Sabbato comedere Carnes; Si non esset ab Ecclesia prohibitum, tunc hoc desiderium, & hanc Cogitatio non est necessario repellenda, nec negligens esset, qui non repelleret, quia Condicio tollit malitiam ab actu; dato enim, quod non esset praecipuum Ecclesiae, prohibens usum Carnium in sexta feria, tunc actus omnino liceret.

Finis Partis Primae.



De Negligentia Abbatum.

SUMMARI A.

- 1 Negligentia Abbatum, & Praelatorum Regulariter peccatum mortale est, propter mala, quae ex inde sequuntur.
- 2 Sanguinem, seu animam subditorum ab eo, exquirere Deum, ideo tenetur fugitivos, & ejectos requirere, & ad monasterium reducere.
- 3 Quanta diligentia debeat Uti, circa apostatas.
- 4 Abbatia, est potius nomen sollicitudinis, quam honoris.
- 5 Abbas negligens, potest removeri, & deponi.
- 6 Qualiter, & quando, Episcopus suppleat negligentiam Abbatum.
- 7 Rationes ex quibus, se excusare praetendunt Abbates, quare negligant revocare ejectos, remissive.
- 8 Negligens corrigere Monachos, graviter delinquit.
- 9 D. Bernardi, de Negligentia Abbatum, monita.
- 10 Siopes sufficient, tenetur Abbas providere de Magistris, qui Monachos instruant in scientiis, in Sacra Scriptura, in Ritibus Ecclesiasticis.
- 11 Negligens in Custodia bonorum Monasterii, si ipse Abbas procuravit Praelationem, & se ingessit, tenetur de Culpa lata, & levi; si vero non se ingessit, sed solum passive se habuit, tunc tenetur de Culpa lata tantum.
- 12 Abbas non tantum in se bonus sufficit, sed & alius debet praelucere Virtutibus; ideo non debet negligere, esse frequenter cum Monachis in Choro, in Refectorio.
- 13 Negligentia, quoad recitationem divinorum, debet multum considerari, & potest culpa, pertinere ad mortale.
- 14 Negligentia Abbatum, nocet Ecclesiae, quatenus currit praescriptio. Non sic omittendo celebrare anniversarium, pro quo monasterium habet legatum, cum poena amissionis in casu omissionis.
- 15 Negligens Abbas punire Monachum, juxta praescriptum Episcopi, jus devolvitur ad Episcopum.
- 16 Abbas sciens Monachum esse haereticum, vel de haeresi suspectum, & non denuntiet In-

- quisitori fidei, graviter Culpatur.
- 17 In Sacris Scripturis, Bullis Pontificiis, Sacris Canonibus, habetur obligatio denuntiandi haereticos.
- 18 Quae etiam Abbates, Monachos, ac quoscunque Regulares obligant.
- 19 Plures rationes dubitandi, quoad eam obligationem denuntiandi, proponuntur, & solvuntur. Non excusatur si sub secreto naturali novit.
- 20 Non intelligitur de Secreto sacramentali, quod sub nulla lege humana, comprehenditur.
- 21 Si Monachus revelet Abbati suum errorem sub secreto, adhuc tenetur Abbas eum denuntiare; optimum autem consilium dabit, ut ipse Monachus, sponte Compareat, & fateatur Inquisitori, suum errorem, & sic liberatur Abbas.
- 22 Abbas qui Juravit non denuntiare, adhuc tenetur denuntiare.
- 23 Nec excusabitur Abbas, si Monachus esset consanguineus, vel benefactor, & valde benemeritus ipsius.
- 24 Prudens timor gravis mali sibi futuri, non excusat a denuntiatione haeretici dogmatizantis, licet Omittens ex eo non fiat suspectus de haeresi, si timor sit cadens, in constantem Virum.
- 25 Si vero essemus in suspecto, tantum de haeresi, probabiliter, timor gravis mali, excusaret a denuntiatione.
- 26 Non potest Abbas omittere denuntiationem, etiam si sibi soli inotescat error Monaci, nec possit probare.
- 27 Denuntiatio facienda est, non praemissa correctione fraterna.
- 28 Si Regularis delinquat extra claustra, & Curia Episcopalis formet processum Informativum, inde transmittat Monachum ad Abbatem puniendum, vel Abbate negligente, poenitentia devolvat ad Episcopum; utroque casu conventus, si possideat redditus in communi, tenetur solvere expensas Notarii, actorum, & alimentum Monaco prestare.